POSITIONUM DECAS DE MAGIA

Quam

Divina adspirante gratia

In celeberrimo ad Albim Athenæo

Sub

EXCELLENTISSIMI JUXTA AC CLARISSIMI VIRI

M. JOHANNIS Sperlings/

Physicæ Prof. Publ. longè dignissimi, Dn. Hospitis, Promotoris ac Præceptoris sui ætatem venerandi

Præsidio

Placidæ φιλοσοφούντων disquisitioni publicè subjicit

HENRICUS Solter/ HOJENSIS,

Aut. & Respond.

In auditorio majori ad 27. Januarij Horis matutinis.

[†]

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XLIIX.

באלהים

POSITIO I.

Magia omnium artium antiquissima est.

FOrmas rerum nunquam defecêre & occultæ & manifestæ qualitates, quæ omnis Magiæ fundamentum sunt & origo. Ut igitur à primordio statim suo suos Natura latentes habuit thesauros, qui ad sui inquisitionem humanum rapere possent animum; ita verisimile est, ipsi non defuisse in hos indesinenter inquirentes. Zoroastrem Bactrianorum Regem, Nini σύγχρονον primum id omnium fuisse aggressum atque sic Magiam excoluisse refert *epitomator Trogi lib. 1. historiar.* Qua quidem in re consentientem is habet *Plinium Lib. 30. c. 1.* Non tamen omnino assentientem, quando hic non post multa subjungit: *Diligentiores paulò ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium.* Verùm uter illorum his habeatur Magiæ autor, nobis perinde est. Non tamen putamus superioribus etiam seculis nullos extitisse hujus artis peritos. Ipsum humani generis primum parentem Adamum Physicæ, & ex hac pullulantis Magiæ exquisita habuisse cognitionem, conjicimus, non quidem ex eo, quod per solum aspectum figuræ externæ rebus nomina imposuerit, internam naturæ conditionem notantia, uti faciunt non pauci perperam ex *Gen. c. 2. v. 19. 20.* Hæc enim notitia ipsi ante lapsum concreata erat, nulla observatione aut usu acquisita. Sed quòd post maledictam à DEo suæ ob inobedientiæ culpam tellurem ipse cunctæ naturalis notitiæ superstites igniculos ad id excitaverit, ut suo deperdito jam statui succurreret. Quod præstare potuit ipsam in naturam diligenter inquirendo, terram spinas tribulosque germinantem excolendo, herbarum & plantarum vires explorando, pyros ac pomos, quæ jam agrestem induerant naturam, pro miti acerbũ ferentes fructũ, transponendo nec non paulatim tam

ἐμφυτεία, quàm ἐνοφθαλμισμῷ ad pristinam indolem redigendo. Quæ & similia naturæ mysteria ad suos is posteros, qui sine omni dubio cum die his plura longè adinvenerunt. Tubalainjam suo tempore omnem æris ferrique tractandi callebat artem & quodvis exinde opificium fabricari noverat. *Gen. 4. v. 22* De Noacho itidem sacer testatur codex, quod vineam, ex qua biberit vinum, plantaverit. Id sanè indicio est, cognitam ipsi fuisse naturam vitium, nec ignoràsse succum ex illarum uvis pressum magnam habere vim fessos labore reficiendi & confortandi artus. Unde defatigatum se recreaturus largiùs bibit & inebriatus est. *Gen. 9.* Salomonem lubens hic prætereo: qui quantus fuerit in hac arte, *ex Cap. 4. 1. Regum* legenti satis constare poterit. Commentator primus in Magiam fuit Osthenes, qui Xerxem regem Persarum Græcis bellum inferentem comitatus in Græciam hanc transtulit, ut *Plin.* scribit *l. cit.* Democritum quoque Abderitem diuturnis longisque peregrinationibus ejus scientiam sibi comparàsse, quando ad Arabiæ, Æthiopiæ nec non Ægypti Magos se contulerit, *idem Plin.* testis est *lib. 25. c. 2.* Unde postea eodem, quo Hippocrates tempore Medicinam, Democritus hic Magiam magnis ex disciplina Apollonica Captidenis & Dardani Phænicum conscriptis voluminibus illustravit. *Plin. lib. 30. c. 1.* Ubi etiam de Pythagora, Empedocle, Platone nimio Magiam addiscendi desiderio inflammatis idem Autor refert, quòd Memphiticos Vates accesserint & Syriam penè totam, totam Ægyptum, cunctasque Chaldæorum scholas peragraverint, exilijs veriùs, quàm peregrinationibus susceptis. Non obscuri quoque sive scientiæ hujus sive artis cultores extiterunt Hermes Trismegistus, cujus meminit *Diodorus Sic. lib. 1. cap. 16. Augustin. de Civ. Dei lib. 8 cap. 23.* Zacharias Babylonius. *Plin. lib. 37. c. 10.* Bocus, Aaron, Zenotenus, Kirannides, Thetel & alij, quorum nonnulla se fragmenta legisse dicit *Cornel. Agrippa de Vanitate Scient. c. 42.* Plura de hac re qui desiderat, *vid. Johan. Bapt. Portam. l. 1. c. 1.*

III. Ma-

II.

Magiæ vocabulum hodie ex classe illorum est, quæ μέσα dicuntur, h. e. in bonam & malam partem possunt accipi.

Non tantùm optimi cum tempore in pejus ruunt mores, sed quoque pulcerrimus rerum usus in fœdum sæpe abusum convertitur. Unde etiam accidit, ut nomina ejusmodi rebus imposita nonminus in suspicionem veniant. Exemplo sit nobis vox Tyrannis, quæ olim fuit augustissima, regiamque majestatem sive Monarchiā significavit, quā qui possidebat, Tyrannus vocabatur, eratq; homo, juxta *Trogum*, spectata inter bonos moderatione ad summū majestatis fastigiū evectus. Jam cū moribus & nomen illud immutat ū est, ut nec Tyrannis nec Tyrannus aliqvot seculis bene audiat. *Vid. Ciceron. Lælius sive de Amicitia.* Sic Sophista initio dicebatur is, qui solertissimo pollebat ingenio & sapientiæ donis mirificè instructus erat. Quare *Arrian. lib. 6. & Synesius Epist. 44.* Indorum Sapientes Σοφιςὰς τῶν Ινδῶν appellitant. Sed postea titulus hic in infamiam abijt, quando Sophista non amplius mansit Sophista, sed aut ostentationis aut quæstus gratiā artem suam exercuit. Quin hodie, quod notum est, Sophistæ nomen tribuimus contortis modò & fallacibus conclusiunculis ludenti. Non secus accidit Magiæ, voci Persicæ, qua olim honestissima indigitabatur ars scrutandi naturæ vires & colendi DEos scientia. Hac rectè imbuti nuncupabantur Doctores sive Sapientes apud Latinos: apud Gallos Druides: apud Indos Brachmannes. Apud Persas tanta horum fuit autoritas quanta in privatum hominem cadere potuit. *Vid. Plin. lib. 30. passim.* Cambysen in Ægyptum cum exercitu abiturum Mago cuidam regni credidisse sceptra *Herodotus autor est lib* 3. Et ex Ægyptiorum Sacerdotibus Magisque Chaldæorum, qui sapientia alijs præfulseriut, ad imperij honores fuisse evectos narrat *Strabo lib. 16. Geographiæ.* Imò Magis apud suos hæc fuit autoritas, ut nemo, nisi illorum doctrina ornatus, rex salutari potuerit. Testem laudo *Ciceron.* qui *de Divin. lib.* 1. ita inquit: *Nec quisquam Rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamq; perceperit.* Conferatur *Cælius Rodigin. l. 3. lect. antiquar. c. 42.* Verùm quoniam postea Magicæ arti, tanquam

 honestissimæ

honestissimæ matronæ, stuprum illatum est à petulantibus nonnullis naturæ contemtoribus, qui legitima negligentes fundamenta, diabolicis sese instillationibus emanciparunt, & sic artificia quædam prodidêre stupenda, advertentibus id, *quorum è meliore luto Titan præcordia finxerat*, vox illa deteriorem quoque in partem cœpit usurpari. Qui mos adhuc obtinet, ut, qui talem exercent Magiam, meritò famosissimis perstringantur nominibus & dicantur *Fascinatores*, *Præstigiatores*, *Venefici*, *Arioli*, nullo, qvando cum vulgo res est, refragante Philosopho.

III.

Non omnis Magia hodie malê audit, sive illicita est.

Sunt qui dubitant, an detur ulla, aut unquam data fuerit Magia licita seu naturalis. De solis Magis, qui ad Christum venêre, bonine fuerint an mali haud sciri posse contendunt. Sed dirimit hanc litem optimè Excell. Dn. D. *Calixtus* in sua *Historia Magorum*; quæ poterit videri: ùt & *B. Meisneri Philos. sobr. sect. 2. part. 2.* Et probant Magiam naturalem facile partim occultæ cum manifestis altiùs perspectæ qualitates, partim stupenda hominum opera solius naturæ vi peracta. Segregetur itaque hîc triticum à lolio, id est naturale à diabolico separetur. Tollatur abusus, ut maneat usus. Non sanè detrahenda illis Magis sua laus est, qui naturæ adyta diligentius perspexerunt, & miranda ejus beneficio opera proferre didicerunt. Laudatur meritò Anaxagoras, quod Olymp. 28. anno secundo prædixerit, quo die saxum è sole esset casurum. Quod factum interdiu in Thraciæ parte ad Ægos refert *Plinius*, additque, suo etiam tempore hunc lapidem fuisse ostensum vehis magnitudine & colore adusto: Sed eum è sole esse lapsum non credibile rectè putat. *Vid. c. 58. lib. 2.* Idē hic Anaxagoras maxima in siccitate pluviam prædixit, indeque pro Deo habitus est. *cit. autor lib. 18. c. 28.* Nec tacenda hîc est *Democriti* in naturalibus sagacitas, quâ ubi olei prævidit caritatem futuram, in toto tractu omne oleum coëmit. Mirati id sunt ij, quos

ij, quos sapientiam præferre divitijs virum solere non fugiebat. Sed sequenti, en, anno superioris omni, quicquid erat olei, divendito, summa ejus penuria extitit. Solus tunc *Democr.* ex hac materia quæstum fecit maximum. Sed pretium omne avaris reddidit dominis & seræ horum pœnitentiæ restituit, opes sibi non cordi esse, attamen in facili eas comparare demonstrans. *Ibid.* Lubet etiam recensere hic, quod *Herodotus lib.* 1. de Persarum Rege Cyro habet. Is cũ adversus Cræsi exercitum, quem ob militum multitudinem extremè formidabat, copias suas duceret, sequenti usus est stratagemate magico. In fronte aciei camelorum constituit plurimos: quos equi militum Cræsi olfacientes, illico sese, (*quoniam ijs magna intercedit cum elephantis* ἀντιπάθεια) averterunt retrò. Hinc milites terga dare coacti sunt, & Cræso tam facile victoria erepta est, quàm captivitas accidit. Hæc & similia si quoque nostri ævi homines præstare & justo tempore adhibere noverint, ipsis nequaquam vitio id, sed potius laudi quemlibet decebit vertere. Prodit enim talis Magia latentes naturæ delicias atque divitias nec non mira cum jucunditate sui studiosos afficit. Jucundum est in libero posse aëre sine ullo sustentaculo clavum suspendere ferreum. Utile ægrotis auxiliatrices scire adferre manus ex rerum qualitatibus bene cognitis, activas passivis rite applicando. Nec minus honore dignus est, cujus Magiæ scientia intellectus à communi rerum abditarum ignorantia purgatus est. Ea enim hic præstare novit, quæ admiratur vulgus, quæque non rarò ad proximi utilitatem vergunt, tum summi Creatoris gloriam & bonitatem illustrant. Ex quibus constat: Omnem Magiam, fundamentum in Natura habentem & sine superstitione susceptam, licitam esse & venerandam.

IV.

Magiæ contemplatio ad Physicam pertinet.

Non simpliciter hoc; sed suo modo intellectum volumus. Ex antè dictis enim videre est, quod non Naturalis modò Philo-

sophiæ

sophiæ cultores, sed ij qvoq;, qui sese dederint civiliū rerū scientiæ, Magi dicti fuerint. *Aretius in probl. loc. 44 pag. 430.* quatuor potissimū ad Magiam pertinuisse narrat 1. *cultum sacrum*, unde Magi dicti sint *Prophetæ.* 2. *Cognitionem Physices*; hinc inquit dicebantur *Medici.* 3. *Pueritiam matheseos* & 4. *Politicen* vel *rationem administrandi imperia & regendi populos.* Hac ratione spectatam Magiam practica modò Philosophia, modò Theoretica sibi tanquam partem vendicat, pro diverso, circa quod occupata ea est, objecto. Neque etiam hîc adstruimus, quasi peculiarem Physicæ partem Magia constituat, in qua tractetur accuratè, quomodo activa passivis applicanda sint, & sic opera admiranda producantur. Hoc scientiam cum arte esset confundere, quod moliri oppidò veremur. Sed id duntaxat assertum cupimus, quòd nemo, nisi Physicarum rerum cognitione instructus quicquam laudabile possit in Magia, quatenus de ea in his pagellis nobis sermo est, id est, quâ Magia ad res solùm Physicas restringitur, efficere: verùm cuncta ex naturalium rerum caussis eruere necessum habeat. Atqve hoc modo sumtam *Magiam*, ulterioris explicationis gratiâ describere commodè possumus, *quòd sit scientia partialis è libro naturæ petitus ad multa hominem rectè dignoscenda & expeditè præstanda aptum reddens.* Ubi observandum erit nos eam dicere, *scientiam*, non ut in rigore accipimus vocabulum *scientiæ*, sed prout qualemcunq; id denotat cognitionem & ad ipsam se extendit praxin. Non *totalem*: sed *partialem*, quoniam in qualitatum doctrina, quæ particula Physicæ, potissimum fundata est. Reddit autem hominem ad multa rectè dignoscenda, nimirum præternaturalia, à naturalib9, licita ab illicitis: itē multa expeditè præstāda, quæ imprimis sine ea & Chimicis & Medicis essent longè difficillima, aptum. Quod si hîc quis nobis cupiat regerere, quid Physicæ intercedat cum opere commercij? Ei sic venimus obviam, quod quæ hîc accidit ποίησις seu effectio nihil rei deroget. Accidit enim illa & Mathesi, in qua beneficio Arithmeticæ, Geometriæ, Astronomiæ, Opticæ &c. non rarò egregia producuntur opera, quas tamen eam ob rem ex Theoreticæ Philosophiæ circulo minimè excludimus. *Tractat Physicus practicam magiam, ut sciat, non*

at, *non ut faciat*. Plura & accuratiora qui desiderat, *Ipsius Clariss. Dn. Præsid. Instit. Physs. cap. IV. Lib. 2. adeat de Magia*.

IV.

Dari possunt certæ quædam Magiæ naturalis species.

Præmissis hisce ad ipsas Magiæ N. sp. descendimus, in quarum enumeraratione discrepant Autores. Theophrastus Peracelsus homo & Naturantem, quam dicunt & Naturatam in multis deserens Naturam, sex licitæ Magiæ species lib. 1. Philos. sagacis cap. 4. eruditis propinare annititur. Harum primam *Interpretationem signorum præternaturalium*, qvæ inter res naturales quidem appareant, naturaliumque corporum speciem habeant, præternaturaliter tamen à Deo in natura constituantur, dicit posse statui. Ejusmodi Magiam fuisse *interpretationem stellæ*, quæ Magis incitamento fuerit ex Oriente in Judæam ut iter susciperent ad Christum recens natum somniat. Quò etiam refert *Interpretationem Prophetiarum & Apocalypsium*. II. Speciem *viventium* asserit esse *transformationem corporum*: qualis in conspectu Phaaronis tempore Mosis contigerit. Quò etiam Servatoris nostri *transformationem* trahit. III. dicit speciē docere *verba facere*, quæ omnes habeant vires, quæ à cœlo in herbas mittuntur quà omnia, quæ Medicus per medicamenta efficit, *verbis* præstare possit, eamq; *characteralē* nuncupat. IV. speciē ait ostendere, quomodo *Gamaheu, i.e. imagines & sculpturas*, quibus mirandis characteribus & figuris *vires cœli* imprimantur, quæ omnia præstent, quæ aliàs ex rebus naturalibus composita instrumenta faciunt. Sicut enim clavis seram aperit, gladius vulnerat, thorax ferreus munit: ita eadem invisibiliter peragi posse per imagines ex influentia supercœlesti lapidibus insculptas. V. Speciem facit, quæ *imagines* his similes, quibus eæ destinantur, conficit. His quicquid infligitur, autumat, *eos pati*, *quorum sunt imagines*. Hac Magiæ specie dicit in *imagine cerea vel alia* posse quem assari, configi, paraliticum, cœcum, impotentem reddi ad Venerem, rursumque sanari, eamque vocat *Alteram in alteram*. VI. & ultimam constituit Cabalisticam, non quidem illam Ve-

terum,

terum, quam *Reuchlinus* nihil aliud esse, *nisi symbolicam Theologiam*, in quâ non modò sint litteræ ac nomina, rerum signa, verum res etiam rerum, ait *lib. 3. de arte Cabal. p.m. 713.* Sed planè aliam & per versam, quæ scilicet rationem & modum tradat, quo *characteribus*, *sigillis*, *figuris*, *verbis* admiranda & alijs impossibilia perficiantur; ac *Magiâ Cabalistica* præstari posse docet, ut quis possit audire vocem ultra mare, aliquis habitans in Occidente loqui cum aliquo habitante in Oriente. Quæ enim voces naturaliter exaudiri possunt *per passus centum*, easdem Magiæ beneficio, dicit, exaudiri posse *per C milliaria Germanica*. Item quod iter, cursor vel equus naturalibus viribus *mensis spacio* absolvit, id per hanc Magiæ speciem *uno die* posse absolvi. Ac tales equos habuisse *Magos Sabæos*, eosque *Magica*, non *naturali* vi equorum Bethlehemum venisse *lib. 1. de Vita long. c. 9.* scribit. Et quicquid natura operatur annuo spacio, id ipsum posse mense perfici etiam in fructibus maturandis, pollicetur. Hoc modo *Trithemium*, cujus fusam *B. Meisnerus par. 2. Phil. Sobr. cap. 2.* mentionem facit, cœnam ex Italia vel Gallia petijsse prolato verbo: AFFER: referunt. Astipulatur hisce *Crollius* & non minus fanatica affert in præfatione *pag. 36. & seq.* Nos recensitas Magiæ species rejicimus, ut spurias, ostensuri infra pro data occasione quid veri subsit. Alias sex adferemus hic ex naturæ sacrario, quæ suis nituntur caussis naturalibus, & â nemine negabuntur.

Harũ I. esse poterit Συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας, vel ut *Scaliger* mavult *Exerc. 344 sect. 2.* Assensꝰ ac dissensus cognitio. Ea qui imbutus est, ignorare non poterit, cur pedes, frigore ad pernionem usque laborantes, frigidissimæ aquæ immersi ad pristinum redeant vigorem. Internum scilicet frigus, velut fœdere facto, ad externum ruit, & ob naturæ convenientiam simile tendit ad simile. Sic liquor, qui gravis est, contra naturam ex imo ascendit ad pennam humidam supernè admotam. Boves, in quo mactatus fuit bos aut ejus ossa sunt recondita, loco consistunt ac vociferantur. Sentiunt enim effluvia ex suæ naturæ simili egressa ibique adhuc hærentia, & conturbantur. Præterire non possum, quin hîc enarrem, quod litteris mandatum est de nobili

quodam

quodam in duello naso truncato superiori seculo. Hic chirurgi opem, uti is sibi consuleret, imploravit. Qui, sentiens delicatum esse ægrotum, proprium ejus brachium dissecare noluit, sed ut è brachio servi more in Chirurgia descripto, nasum sibi comparari curaret, ei svasor extitit. Conductus est mercede servus à nobili, qui se illi alligari, brachium secari & cætera adhibenda adhiberi spe lucri passus fuit. Cura processit feliciter, nobilique reparatus est nasus ac servo brachium restitutum. Sed triennio pòst servus morbo laborare incepit, ex qvo nobilis nasi dolores percipere potuit. Mortuo servo, nasus, quasi mutuò datus, simul computruit deciditque. Quid hîc aliud respondendum erit, quàm ex *Sympathia* sive *naturæ consensu*, ut mortem servi etiam nasi corruptio statim secuta fuerit, evenisse? Eodem modo vina vetera, cum vites gemmas protrudunt, in dolijs effervescere, & panes, quando in agris frumenta florent, in ædibus marcescere & corrumpi, credimus. De panno, quando adipe aut pice infectus est, res paulò est manifestior. Solâ aquâ calida eum ægrè purgabis: adhibe aliam cum aqua pingvedinem, nec non videbis illã huic uniri & ex panno elui. Venenũ attrahit venenũ, morsusq; animalium venenatorũ venenorum applicatione curantur. Qua de re plura ap. *Renodæum Instit. Pharm. lib. 1. c. 17.* legi poterunt. Sic amat natura sui unionem, secus ac nonnulli sentiunt. Nec minus, ut *raptus similium*, *fuga* etiam *dissimilium* in aprico est. Oleo, butyro sive adipi accensis, si affundimus frigidam, ignem non sine murmure aquam fugere, superiora loca petere ac ipsas sæpe ædes incendere conspicimus. Non hic opus est, ad ἀντιπερίστασιν ut recurramus. Hostis adversus hostem se munit & unit, ejusque impetum aversatur. Hinc etiam proculdubio, Beatissimo scribente *Sennerto*, pulveris pirij vis est, dum non solum sulphur ac nitrum accensa locum requirunt ampliorem, sed & sibi invicem inimica sunt. Famosum est allij & magnetis dissidiũ. Illo n. hic illinitus ferrum attrahere recusat. Pullus gallinaceus, triduum aut quatriduum ovo exclusus, milvum è longinquo conspectum horret sibiq; ad matrẽ fuga consulit, nullũ aliàs sive equũ sive bovẽ sive molossum reformidans. Accipitrem imbelles fugiunt columbæ:

& lupus ovi visus terrori est. Alimenta etiam nonnulla multi nauseant summè, multi eadem avidè anhelant. Scribunt triticum ita aversari vultures, ut ejus esui fame anteponant perire. Ciconeis oblectamento serpentes sunt & gallinis araneæ, hominum interitus. Asinus ferulum equorum pestem comedit. Ad quæ notandum venit, quòd, ut proprietates hæ plerumque communes sunt & toti fermè speciei conveniunt, à forma specifica propriè manantes, ita aliæ etiam, eæque magis contractæ dentur, quæ non omni, sed nonnullis tantum individuis accidunt, ùt cum Alexandri Magni corpus fragantissimum, *teste Plutarcho in ejus vita*, odorem de se sparsit. Nonnullos à caseo, butyro, vino felibus ita abhorrere cernimus, ut horum præsentia ijs non tantùm valde molesta sit, verùm & periculosa. Novimus *inquit Weinrichius Tract. de monstris c. 8.* qui angvillarum duntaxat calorem, aspectum, esum pati non posset, sed ne esse quidem in ædibus absque insigni anxietate, ubi occultabatur aliqua vivens. Et *Josephus Scaliger Exerc. 344. sect. 6.* quendam commemorat, audito phormingis sono, se continere non potuisse, quin sub mensam (sit venia verbis) etiam inter clarissimorum convivarum pedes minxerit. Hæc affectiones quoniam non semper & omni speciei individuo insunt, à formis accidentarijs, provenire eas arbitramur, quæ subjectis interdum ad tempus sine lege, sine necessitate adsunt. De *ὁπλοχρίσματι sive* ungvento armario, cujus conficiendi applicandique modum breviter describit *Baptista Porta lib. 8. c. 12.* quæri potest, num etiam id referri huc debeat. Affirmativam videntur tenere non pauci, inter quos *Crollius* est & *Goclenius*. Sed negamus illud meritò, cum nulla actio passioq; sine contactu esse possit, *docente Aristotele 1. de gen. & corrupt. c. 6. text. 44.* Omnis autem contactus est vel *corporalis*, quando duorum corporum superficies ita simul sunt, ut mutuò se invicem premere ac movere possint: Vel *Virtualis*, quando virtus unius corporis ad superficiem alterius pervenit, agitque in illud, sive per species id fiat emissas sive per effluvia. At neutrum de illo rectè quisquam affirmabit: Non illum; quod contra sensus; non hunc, quod contra rationem est. Quæ enim inter ferrum sive

telum

telum vulnerans & vulnus inflictum naturæ aut qualitatum convenientia? cùm tamen ea, quæ in se mutuò agunt & à se invicem patiuntur, aliquo modo sint inter se similia, *docente Aristotele lib. 1. de gen. & corrupt. c. 7. textu 50.* Nil valet, quod ajunt, *spiritus unà cum sanguine egredi, telo sive ferro adhærescere, indeq; adhibitis adhibendis repelli & ad corpus suum redire ac illud redintegrare.* Sanguis iste è corpore fusus cruor fit, statimque emoritur, nec spiritus in se retinet ullos. Patronis igitur hujus unguenti ex rei natura hoc aliter erit demonstrandum, quod quamdiu non fiet, Satanæ hîc subesse ludibrium putabimus. Meliora vid. *ap. B. Sennertum de ungv. arm.* apud Clariss. Dn. Præsidem *Instit. Phys. c. 3. quæst. 1. Keckerm. curs. Philos. disp. 2. corol. 4.*

II. Magiæ naturalis speciē *Φυσιογνωμίαν sive* naturæ ex partium corporis positu cognitionē constituim9. Hanc qui rectè tenet, illi ex notis corporis in sensus incurrētibus & singulis hujus partibus, cūprimis autem vultu sive faciei habitu, de morum constitutione & ad certa studiorum affectuumque genera inclinatione conjecturas facere ac præsagire erit integrum. Membrorum enim humanorum exteriores ad se invicem habitudines cùm è membrorum principalium efformatione dependeant in origine; & omnis effectus suam quodammodo causam arguat, horum indicia ex illis desumi non ægrè poterunt. Vulgare quidem est: *Frons indicium animi est & mentis janua oculi:* sed non contemnendum. Boni namque cordis bonam faciem vestigium *Syracid.* nominat *c. 13. v. 32.* Mærentis ac gaudentis, speculantis & irascentis manifesta in fronte apparent indicia. Et esse vix potest, ubi habent congruentem inter se *συμμετρίαν* membra corporis, quin vis plastica modo legitimo ex justa materiæ seminalis analogia tria illa membrorum principalia *cerebrum, cor & hepar* efformârit, hisque reliqua vicina & externa sapienter copulaverit: cordi nimirum thoracem, caput cerebro, cum reliquis, quas singula membra continent, partibus. Hinc tot ex eleganti corporis humani *commenso, (ut Vitruvij* verbo utar) divinationes, quot fermè anni dies, sunt. Plurimas vide collectas in Excell. Dn. Præsid. *Anthropol. Physica lib. 2.* hinc inde: cumprimis de faciei constitutione *p. 634. & seq.*

Apud Hippocrat. lib. 2. de morbis popularib. *Paulum Zachiam Quæstion. Medico-Legal. lib. 4. Tit. 1. Quæst. 5.* Secus si eveniat, ut membris hisce apta desit *condecentia*, sicut fatur *Tullius*, aut vim efformatricem calore defecisse aut materiam seminalem non suffecisse conjicimus. Quibus bene observatis, quid de compositi constitutione, de ejusdem affectionibus & inclinationibus censendum sit, explicat illud vulgatissimum: *Cautus homo cavit, quicquid Natura notavit.* Nazianzenum in hac re, testatur *Nizetas*, vix parem habuisse, atque internum hominem ex gestibus externis omnium maxime potuisse notare. Ille igitur, qvisquis futurus esset Julianus, ex facie ejus, orisque lineamentis facile potuit depingere, quando inquit: *Neq; enim mihi boni quicquam significare videbantur crura minime firma, humeri, quos subinde agitabat & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus protervi & exæstuantes, nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens spiritusq; intercisus, interrogationes præcipites & imperitæ responsiones, his nihilo meliores.* Vid. ejus in *Julian orat. 4.* Sic sæpe hominum interna externis respondent, &, nisi optima illorum mores educatio emendet, deformi corporis habitui deformis animus comes est. Conjungi cum *Physiognomia* poterit *Chiromantia*, quæ ex manuum lineamentis & monticulis, de temperamento, virtutibus, vitijs, honoribus, divitijs, conjugibus, liberis, moribus & interitu etiam judicat. De qua Vid. *Johannes de Indagine cap. 1. cap. 2. 3. 4. & seq. Peucerus: & B. D. Balduini Casus conscient. pag. 801. 802. pluribus.*
III. Magiæ natur. speciem ponimus γαλεομαντεία i. e infantũ recens natorum *ex vittis divinationem*. Est autem *Galea* sive *Vitta* infantium, juxta nonnullos, peculiare quoddam involucrum seu membrana ex superabundanti copia magis terrei, quam aquosi, solidioris compactiorisque seminis, à virtute plastica validiore efformata, & in circumferentiam fusa. Levin. *Lemnius de occult. nat. mir. lib. 2. c. 8.* tanquam anilem & malê sanarum vetularum persvasionem hanc rejicit, statuens, vittas illas nil esse aliud, quàm partem intimi involucri fœtus, quod suo appel-

latur

ſatur nomine ἄμνιος. Sed non aſſentimur illud nos dicto autori (1) quia vittam hanc arcum circa fimbriam quaſi obtinere inſtar venæ rotundam, ajunt, quæ, ſi eſſet pars amnij abrupta, non adeſſet (2) Involucrum iſtud ἄμνιος dictum, ſi rumpatur, ilico recurrit, & quaſi in ſe contrahitur, quod non deprehendi poterit, in ejuſmodi *Galeis*. (3) per rupturam membranarum oræ redduntur inæquales & dentatæ quaſi, quod itidem hîc non fieri obſervatum eſt. Res autem cum hâc vitta ſeu diademate ita ſe habet, ut ſi nigricante id affectum fuerit colore, multa infantibus, minetur ſiniſtra, eò quòd color nigricans prædominantem indicet humorem melancholicum aduſtum, qui ad horrenda quævis hominem diſponit impellitque. Unde etiam proverbium: *Melancholia Diaboli balneum*. Atra enim hæc, denſaq; fuligine cerebrum replet, mentem obnubilat, non ſecus, ac atra nubes ſolis obfuſcat radios. Quam ob rem huic etiam humori malos non rarò ſeſe immiſcere ſpiritus aſſerit *L. Lem. l. 1. c. 16. de occ. nat.* Hac qui infeſtantur horrenda ſibi ſomnia fingunt, ſpectra, mortem, Tartara ipſa. Quin & vigilantes ij interdum talia ſibi imaginantur aut ante oculos verſari depravatam ob Phantaſiam autumant, qualia *idem autor de complex. lib. 2. c. 6.* recenſet de quodam, qui ſe mortuum putârit, ideoque nec cibo nec potu uti voluerit. Ac de alio narrat, quod opinatus fuerit, clunes ſuos eſſe vitreos, & propterea ſibi omnia ſtando conficienda eſſe negotia, ne, ſi ſeſſum caperet, confringeret nates. Si verò rubicundo hæc *vitta* colore infecta fuerit, principiatum quoque de ſuo principio teſtabitur, hoc eſt, ſanguinis in ſemine indicabit prædominium; atque ſic infantibus multa pollicebitur proſpera. Sanguineum enim temperamentum, præterquam quod per ſe optimum eſt, temporis ſucceſſu in naturalem abire ſolet melancholiam, cui mentis ſagacitatem comitem eſſe ſolere teſtis eſt *Ariſtoteles*, qvando ejusmodi temperamento omnes, qui ingenio claruerunt in Philoſophiæ ſtudio, ſive Reipublicæ adminiſtratione, vel carmine pangendo, adfirmat fuiſſe præditos *probl. 1 ſect. 30.* Sed quomodo hoc ſobriè & rectè accipiendum ſit, *vid. Clariſſ. Dn. Præſ. Anthropol. Phyſic. pag. 162. 163.* Referri etiam hûc poterit ὀμφαλομαντεία, ſive

sive umbilici inspectio & ex ea divinatio: de qua, quoniam ex ijsdem fermè fluit sumiturque causis, idem ferme etiam poterit esse judicium.

IV. Magiæ naturalis speciem facimus virium Φαντασίας notitiam. Non quidem illam, de qua *Crollius* dicit: *Quicquid oculis videmus in majori mundo, hoc idem imaginatio potest producere. Sic omnes herba, omnia metalla per imaginationem & verum Gaballam possunt produci. præf. p. 38.* Vana hæc est & falsa. Vid. *Excell. Senn. cap. 14. T. de C. ac D.* Sed quæ in naturalibus caussis fundata est. Hac qui destituitur, fieri non potest, quin multa admiretur summè sæpeque horreat, quæ ab imaginationis viribus proficiscuntur. Tantæ enim tamque stupendæ Imaginationis vires sunt, ut in illarum investigatione plurima sese, eaq; optima hominum capita semper exercuerint: siquidem non in proprium modò hæ agunt corpus: sed & alienum non rarò miris afficiunt modis: quod in tenellis adhuc maternæ alvo inclusis fœtus membris videre est, quæ adeò nonnunquam distorquent, ut hominisne partes, an bruti spectes, dubitare queas. Id cum nôsset Patriarcha Jacob ex inito cum socero pacto, sine fraude sineque vituperio (quod cum alijs celeberr. *in XXX. Cap. Gen.* Theolog. B. D. *Gerhardus* statuit) ovibus potuit ditescere. Libet in medium adferre exempla aliquot, quæ Phantasia, sese, quantum valerat, ostentans, prodidit. *Clariss. Schenckius* annotat, ob denegatum à lanione carnis frustum in macello gravidam quandam ira sic incaluisse, ut nares stillarint sanguine, quem cum absterserit, enixa sit fœtum superiori carentem labio. Et *Cornelius Gemma* refert, maritum quendam conjugem suam, ubi jam partus institerit, stricto gladio insequutum, frontique ejus plagas ac vulnera minitatum esse, quæ postea prolem horrendum in fronte vulnus habentem pepererit, è quo tam abundè sauguis profluxerit, ut is ante interitum infantuli sisti nequiverit. *Experientiss. Sennert.* Novi, inquit, fœminam, quæ cum vidisset à Lanione caput suillum securi dividi, filium genuit, cui tota superior palati pars cum maxillo superiore & labio ad nares usque divisa erat. Et de alia dicit: Memini, mulierem quandam cum sub mora versaretur, & mora plura in ipsam deciderent, filium

liam genuisse, quæ in ijs corporis partibus, in quas in matre mora deciderant, verrucas instar mororum habuit. Hæc & sexcenta alia potest Phantasiæ vis. De modo quo hoc fiat, ne eum sicco præterijsse pede videamur, etiam hîc pauca annotabimus. Dicimus verò, eum non posse esse unum, cum jam suprà affirmaverimus, nunc in *proprium* nunc *alienum* corpus Phantasiam agere. Quod ut eò rectiùs intelligatur, præmittimus, actiones ejus esse duplices, primarias & secundarias. *Primarias* sive *immanentes* rursus geminæ sunt, nēpe (1) species à sensu cōmuni delatas examinare, depurare & in naturam Φαντάσματος convertere. (2) ex illis novas & singulares proprio Marte fingere ac pingere imagines. Unde tot somniorum oriuntur genera, ut non malè cecinerit Claudianus:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.

Sed de illis hîc non plura dicemus. *Secundarias* sive *transeuntes*, quoniam hûc propriè spectant, arripiemus. Hæ numero & specie infinitæ sunt, quæ tamen in hoc uno conspirant cunctæ, quòd phantasia non intra suos sese limites contineat, quando ultra affectionem phantasmatum, nunc in proprium corpus nunc in alienum, non quidem externum, sed fœtus, in utero contenti dominium affectat. Fit autem illud non directè & per se: quia phantasia facultas cognoscens est. Cognoscere verò actionem immanentem denotat, non immutantem sive proprium sive alienum corpus. Quod inde haud difficulter probatum dare possumus, quòd nemo, quem hodiè morbus infestare incipit, cras aut perendie non convalesceret. Omni enim hora omnique momento ægrotantes de sanitate ceu summo bono cogitant. Sic qui pecunia Crœsum se superare sibi imaginantur aut somniant, non nisi somnium id esse deprehendunt. Per accidens igitur & in-

 directè

directè id contingit, ut modò proprium modò alienum corpus Phantasia mutet, quatenus nimirum cognoscentem sequitur appetens, appetentem locomovens, locomoventem mutationes istæ tam variæ & admirandæ in subjecto. Res in totum ita se habet: Objecta externos movent sensus: hi species receptas ad sensum communem deferunt, qui eas phantasiæ cognoscendas tradit: cognitas appetitus sequitur vel aversatur. Actionem hanc excipit spirituum commotio & humores mutant partes. Et hinc omnium in corpore proprio à phantasia natarum mutationum evidens ac sufficiens patet ratio. Læta animis volventes, lætamur, tristia, tristitia suffundimur, &, de lautiori cibo cogitantes, salivam in ore percipimus. Fœmellæ pica laborantes è creta, luto, cineribus, lateribus & pice svavem sentiunt saporem. Amicorum adventus qui sperant, moderato afficiuntur calore & roseo colore perfunduntur. Quidam nocte una imaginatione acerrima canuerunt. *Scaliger Exercit. 312. Historia*, inquit, *nostræ tempestatis est sub Francisco Gonzaga Mantuæ Principe. Is affinem suum suspectum conjurationis cum in turri portâ Cæsareæ ad quæstionem aut supplicium servari jussisset, nunciatum est manè totum repentè canum factum. Quod quasi prodigium flexit principis animum. Qui ei propterea & veniæ & vitæ fecit gratiam.* Non hoc expituitæ abundantia, ut nonnulli volunt, sed sanguine vehementer affecto contigisse putandum est. *Vid. Excell. Dn. Præsid. Anthropol. Phys. lib. 2. c. 16 quæst. 4.* Ac licèt nonnunquam erret Phantasia, tamen mira inde sequuntur effecta. Quod videre est in *Vincentio* illo, sicut refert *Marcell. Donat. lib. 2. hist. medit. memorabil. c. 1.* qui tantam sibi imaginatus est corporis magnitudinem, quantâ ostium transire non liceret. Et cùm medicus per id eum transportari mandavit, querula voce, in transportatione ista totum se esse confractum intus, dixit; pauloque pòst animam efflavit. Noctambulones è lecto surgunt, ambulant, scalas ac summa ædificiorum fastigia superant, nec non stupenda satis opera peragunt. Jucunda de his lectu exempla *Clariss.* habet *Medicus Johannes Horstius* libello, quem *de Noctambulonibus* inscripsit, quæ brevitatis causâ omisimus. Vulgus, ut aliàs erroris plerumq; magister est, etiam hîc superstitiosè

putat,

putat, homines ejusmodi ideo noctu surgere & circumvagari, quod à sacerdote non legitimè baptizati sint, sed quòd is aut verborum aliquid aut ceremoniarum in baptismi actu præterierit. Verùm occurrunt huic *Excellent. Medici Lemnius lib. 2 de occult. nat. mirac. cap. 5.* & *Horstius* longèque alias adferunt causas, dicentes scilicet: *Noctambulonibus sanguis fervidus est & spumans: ex sanguine autem spumante etiam spiritus spumantes & velut vividi oriuntur.* Qui spiritus ex constitutione corporis melancholica & temperamento cerebri nimis sicco tenacissimam & fortissimam adjunctam habent facultatem imaginativam, circa quam dum occupantur, agitatione sua motuque incalescunt & accenduntur: accensi v. quærunt meatus spatium & à membris interioribus provolant ad membra exteriora: ita tamen, ut etiamsi virtuti motrici musculis insidenti ad motum exercendum à cerebro communicentur, non tamen *organis sensuum ad sua objecta dignoscenda sufficienter impertiantur.* Quod propter hanc causam, *referente Keckermanno curs. Philos. disp. 17. p. m. 209.* accidere *D. D. Conimbric. ex Vega in 3. Gal. de loc. affect.* annotant: *quia via, per quam cerebri facultas ad motum pectoris & artuum influit, laxior est eâ, per quam sensuum exteriorum officinas illabitur.* Nempe ut brevibus omnia: in dictis casibus pro varietate cognitionis phantasiæ variat appetitus, variant affectus, variant motus, variant mutationes: & affectus moventur non juxta acta, sed repræsentata. Ac ita etiam comparatum est cum corpore alieno, cum ipsi *indeterminatum* quid à Phantasia imprimitur: ut quando gravida à lupo conterrita fœtum edit pallidum, aut fuste petita mortuum gignit. Verùm cum determinatus cernitur in fœtu effectus, res aliter se habeat, necesse est. Si enim mulier vulnere territa, quod in vulnerata vidit facie, fœtum pariat vulnus in capite alentem, determinatus hic effectus à communi fluere causa non potest. Ad formatricem igitur facultatem hîc erit recurrendum, ad dictamen, regulam & ideam quandam operantem. Non enim humoribus aut spiritibus, non locomotivæ, non appetitui, non phantasiæ ascribendum est, quod formatricis audit opus. Hujus opera fit, quicquid in toto fœtus formatur corpore. *Clariss. Præses*

 rem

rem paucis nervosissimè explicat, quando inquit: *Ipsa formatrix est, quæ format omnia. Hæc cum à Phantasia turbatur ac seducitur membra format tortuosa milleq; modis depravata. Res omnis in specierum consistit communicatione. Ita quidem, ut species phantasiâ perceptæ matris spiritibus ac sanguini communicentur, pòst spiritibus aut sanguini fœtus imprimantur: & ibi instar exemplaris ad hoc & non ad aliud formandum dirigant ac disponant. Ut ergo Phantasiæ species infinitæ sunt, sic etiam infinitas cernere licet signaturas.* Vid. *tract. ejus de format: hom. in utero. cap. 5. B. Sennert. tract. De C. D. c. 14. de virib. Imagin.*

V. Mag. Nat. speciem ὀνειρομαντείαν adducimus i. e. ex in somnijs divinationem. Multi hanc planè rejiciunt; multi nimium extollunt. Mediam tenuêre beati. *Piæ & Rever. memoriæ Vir D. Frid. Balduinus lib. 3. de Cas. consc. c. 6. rectè inquit: Vel omnibus vel nullis fidem adhibere insomniis, ejusdem vanitatis est.* Cui meritò *Barth. Keckerman curs. Philosoph. disp. Philosoph. disp. 17. probl. 53.* subscribit, dicens: *Omnem somniorum significationem more Epicuri, Metrodori, Xenophanis Colophonij & aliorum rejicere temerarium videtur.* Et, *Quid dicam de divinatione ex insomniis? num somniare dixerim eos, qui somniis fidem habent? Non absolutè quidem: nam quædam somnia, quæ à copia & qualitate humorum & ex prægressis actionibus, hesternisq; cogitationibus dependentiam habent, possunt certa quædam nobis præmonstrare, maximèq; hæc à medicis advertuntur, quod copiæ & qualitatis humorum & constitutionis corporis nobis judicio esse possint: ait Paulus Zachias lib. 4. Quæstion. Medico-Legal. Tit. 1. quæst. 5.* Monendum igitur hîc erit, somniorum diversa esse genera. Quædam (1) sunt ὁράματα θεόπεμπτα à Deo modò ἀμέσως, modò ἐμμέσως per sanctos angelos immissa, quorum in sacris litteris plurima licet invenire exempla. Hæc magni à nobis semper facienda sunt. Quædam (2) sunt ὁράματα δαιμονιόπεμπτα, qvibus humani generis inimicus inflammat homines ad libidines, odium, vindictam & tumultus. Ejusmodi somnia fuerunt, quæ venditabant *Manichæi* olim: item *Enthusiastæ* & *Anabaptistæ*, qui superiori seculo ijs nixi in *Thuringia* & *Monasterij Westphaliæ* oppido nefanda patrârunt scelera. Diabolica etiam judicanda sunt

somnia,

somnia, cum ad res futuras aut occultas investigandas perducunt, quarum cognitio non ad utilitatem aliquam, sed tantùm ad vanā scientiæ ostentationem vel etiam ad aliquid mali faciendum confert. Satanæ enim opera sunt vanitates scientiarum & studia maligna. Quædam (3) sunt *φυσικά*, quæ ita magis vel minus certa & præsaga putamus, prout causam habent vel remotiorem vel propinquiorem & cum majori necessitate conjunctam. Dividuntur autem ea commodè in *animalia* & *naturalia* in *specie* sic dicta. Illa plerumque sunt *ἀσήμαντα*, ut Poëta non malè de ijs cecinerit:

Somnia fallaci ludunt temeraria noctu.

Quando enim ejusmodi nobis accidunt, Phantasia vel præteritas tantùm actiones repetit vel eas variè confundit & ex multis diversisque rebus unam componit, ut nihil tam ineptum tam absurdum, tamque monstrosum cogitari possit, quin somnia interdum id nobis repræsentent. Ideo rectè hæc sacer rejicit codex *Eccl. c.* 5. *v.* 6. *Syracid.* 34. *v.* 1. *Naturalia in specie* sic dicta pleraque *σημαντικά* sunt, notatuque dignissima. De temperamentorum enim, affectuum, humorum testantur, aliarumque latentium rerum cognitionem adferunt. Ut: in quibus abundat sanguis, ijs lætiora quæque & jucundiora occurrunt, qualia rosarum pratorumq; aspectus sunt: item, saltationes, choreæ, convivia. Cholericis ob flavæ bilis acredinem, rixæ, pugnæ, prælia, incendia, depopulationes objiciuntur. Phlegmaticis redundantem ob pituitam, navigationes, portus, submersio, maria, piscationes, balnea pluviæve obversantur. Melancholicis denique varia corporis pericula, suffocationes, capitis amputatio, strangulationes, tenebræ, noctes, mors, diabolus, infernus, collapsarum ædium rudera, per loca oberrationes solitaria, & quid non? In causa est atra bilis sangvisque terrestris, queîs hi affecti sunt & abundant. Sed *Physicis* hæc & *Medicis* accuratiùs pertractanda relinquimus, properantes ad ultimam juxta institutum nostrum Magiæ N. speciem post nonnulla de somnijs *D. Hieronymi* verba, quæ hæc sunt: *In multitudine somniorum & vanitates & verba plurima. Cùm diversa videris per nocturnam quietem & varijs a-*

nima fuerit exagitata terroribus, sive incitata promissis, tu ea contemne, quæ somni sunt & solum Deum time: qui in somniis crediderit, vanitatibus se, & ineptiis tradet.

VI. eamque ultimam Magiæ Naturalis speciem constituimus Ἀςρολογίαν i.e. scientiam de viribus stellarũ in corpora hæc sublunaria ex certo cœli, syderumque positu petitam, cujus ope, licèt non proximis; remotioribus tamen causis, miranda quædam futura prædicere probabiliter possumus. Instructi hâc apprimè fuerunt Magi ex Oriente ad mundi Salvatorem recèns natum venientes. Nam cum viderunt, inusitatam planeq; singularem stellam esse ortam, inusitatum quid planeque singulare illam portendere statim conjecerunt. Unde ductum ejus sedulò sequentes iter suscepêre longissimum, ut Regem stellantis Olympi cernerent ac ipsi offerrent munera. Quanquam non negandum, summum his etiam Numen adfuisse, quod nobiliss. *Tycho de Brahe* lib. 1. astron. p. 584. videtur innuere, qui consulatur. Dividitur autem Astrologia communiter in *Catholicam* sive *universalem*: quando ex astrorum configuratione toti cuidam aliquid divinatur plagæ sive genti: ut cum ubertas maxima, aut maxima frugum caritas illi denunciatur. *Exempla Democriti & Anaxagoræ superiùs posit: III adducta hîc poterunt repeti.* Et *specialem*, sive *huic vel isti homini propriam*, quam etiam vocant *Genethliacam*, quando singularia in humanis corporibus temperamenta considerantur & de ijs ex accidentibus, quæ temperamenta plerumque sequuntur, prædicitur. Principia harum Divinationum tum metas quoque ex Physica & Astronomia petitas, videsis ap. *Peucerum, de Divinat. fol 376 & sequent.* Nos plura hìc fari jam vetamur, ut de Illicita quoque Magia subsequentes adferre nonnulla pagellæ concedant.

VI. Verborum, characterum, ceremoniarum, imaginum, nec non sigillorum, ùt superstitiosum vulgus antumat, vires nullum in natura fundamentum habent, adeoque nullæ sunt.

Facinus magnum est implicitum cum Satana inire fœdus: Majus explicitum. Illud ex superstitione potissimum oritur & in-

& incautis sæpe instillatur mentibus. Hoc ex animo planè perverso originem ducit & nisi à volentibus suscipitur. Utrumque tam juxta divinam *Deutr. 18.* quam humanam, *L. multi. c. de malef. & Mathemat.* legem gravi animadversione dignum est. Quod tamen multi flocci facientes tam temerarij sunt, ut neq; illud cavendo, neq; hoc fugiendo sibi consulant. Sed subeant isti & corporis & animæ periculum. Nos postquam de *Licita Magia* nonnihil superiori posit: balbutivimus, *Illicitam* quoque paucis attingemus, visuri, quàm infirmis ea fundamentis superstructa sit. Autorem hujus alij alium ponunt. Non opus arbitror, ut de eo impræsentiarùm ambigamus. *Wiero is Zoroaster filius Chami Misraim est*, cui pater, sublato cataclysmi periculo, Magicas, quas ipse multò antè ab alijs hauserit, artes tradiderit. *Vid. lib. 2. c. 3.* Ast unde illi eam addidicerunt? Nobis certum est, Diabolum, ùt omnis mali, ita & hujus causam esse atque caput. Etenim, postquam curiosa hominum ingenia tum cœlestem deseruêre doctrinam, tum ultra *posse* sapere annixi sunt, versutus ille & versipellis deceptor, varijs impiorum speculationibus suam junxit operã, superstitionẽ superstitione commẽtaq; cõmentis alacriter augẽdo. Quem morem adhuc obtinet, dum non uno fine nec una fœderis forma sese hominibus devincit; sed tot in cautos ac miseros mortales capiendi excogitat artificiorum genera, ut impossibile sit cuncta recensere. *B. Meisnerus* ad tres classes (1) *Divinatoriam* (2) *Præstigiatoriam*, (3) *Effectoriam* plurima eorum revocat *2. part. Philosoph. sobr. cap. 2. p. 555. & seq.* quem vide. Arbitraria jam nos ingredientes via, à *Verborum, characterum*, &c. vi & efficaciâ incipimus, eamque esse nullam probamus. Ac *primò* quidem de *Verbis*, quibus utuntur, nunc significantibus, nunc non significantibus, nunc domesticis nunc peregrinis, nunc sacris nunc profanis sive tacitè demurmuratis sive clarâ voce pronunciatis dicimus, quòd illorum per se nulla vis sit, sequentibus rationib. nitentes. (1) Quicquid à fine verborũ simpliciter est alienum, id illorum effectus nullatenus esse potest, Rat: Quia finis & effectus in negotio hoc mutuò sibi subordinantur nec realiter differunt: quoniam una eademque res & finis & effectus est: finis intentio-

ne: effectus

me : effectus exsecutione. Sed curatio morbi corporum immutatio, Lunæ de cœlo deductio &c. per *verba* simpliciter à verborum fine est aliena. R. Quia adæquatus omnium verborum sive prolatorum sive scriptorum finis est significare mentis conceptus, ut ex definitione vocis patet. Ergo. (2) Si verba nihil aliud sunt, quàm quantitates, ipsis quoque per se nulla inerit vis nulla efficacia. Atqui verum est prius. Sublato enim significativo usu, aliud nihil sunt, quàm sillabarum & litterarum numerus, qui ad Quantitatis prædicament. pertinet. E. & posterius. Quantitatis enim nullam esse efficaciam, Canon est. Frustra igitur sunt & valde peccant, qui *Evangel. S. Johannis*, *Orat. Dominicam*, *Psalmos Davidis*, *Ave Maria* &c. de collo suspendunt, indeque sanationem exspectant aut alia his effecta edere conantur. Vid. B. *Chemnit.* part. 2. loc. Theolog. in præcep. 2. Etsi enim habeatur *Hebræor.* c. 4. v. 12. Quod Verbum DEI sit sermo vivus & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti: non tamen id huc trahendum. A quo id fit, Fall. à d. secundum quid ad dictum simpl. committitur. Quà de re alij. Ex quo sequetur, si *verba* neq; *sacra* neque *profana* ullam in se habent efficaciam, quà *verba* sunt, ea etiam herbis quicquam præstandi vim conferre nullam posse. Verum enim est, & immotum manet: Quod quis nullo modo possidet, illud alteri communicare nequit. Occurrere nobis si quis ulterius gestiat, effectum tamen nonnunquam manifestum sequi: Et quam plurimos per ADACADABRA peculiari modo scriptum à febre liberatos esse: Illi responderi posse arbitramur tripliciter. (1) Ægrotorum affectus admodùm vehementes sunt & plurimùm in morbis valent. Ut enim tristitiâ, terrore, metu, tanquàm vitæ inimicis, spiritus coarctantur nec non rarò exstingvuntur, unde in morbos, quos valde metuimus, facile incidimus: quos deinde inopina mors sæpe excipit. *Exempla vid. ap. Fuckfium. ex Plin. adducta instit. medic. lib. 2. sect. 6. c. 1.* Sic contrà firmam per spem ac fiduciam spiritus excitantur inque totum corpus diffunduntur, ut confidentia atque ingens erga medicum affectus plus nonnunquam efficiat, quàm ipsa cum medico medicina. Natura namque obedit aliquando cogitationibus

tionibus & vehementibus animæ desiderijs. *Et affecto spiritu, afficitur corpus, in quo spiritus delitescit*, inquit *Avicenna lib. de Anima.* (2) Narura sæpe ipsa morbum leviorem superat. (3) Rei admixta est occulta quædam Dæmonis operatio, ut hominem superstitiosum superstitione cumulet, sicque corpus adjuvando nonnihil animam deperdat, *juxta illud S. Augustini: Cum spiritus maligni non possunt seducere Christianos, ut dent venenum: Ergo addunt mellis aliquid, ut per illud, quod dulce est, lateat id, quod amarum. Serm. 7. super Johannem.* De *characteribus*, quoniam meræ sunt figuræ, ac proindæ nudæ tantùm quantitates, idem poterit esse judicium. Deinde Diabolus nonnullis autor est, ut *ceremoniis* utantur ineptissimis inque ijs magna efficiendi multum ponant fiduciæ. Putant, illum, qui indusium, usu tritum, inversum induit à morbis ab incantationibus profectis esse immunem. Scopas ante ostium collocatas transgredi lamias non posse ajunt. Sed putant hoc & ajunt, sibique à Satana fucum vendi patiuntur. Argumento hujusmodi rem subvertimus. Nullæ artificiales futilitates effectum naturalem producere possunt. Atqui ejusmodi *ceremoniæ* sunt artificiales futilitates. Ergo &c. Neutram præmissarum probatione indigere arbitramur. Quicunque igitur *ceremoniis* utitur, *Diabolicam* exercet *Magiam*.

Tertiò, qui *sigilla* atque *imagines* adhibent, à Satana etiam implicari asserimus. Inquiunt, *in imagine cerea aliave assari quem posse, configi, item surdum, cœcum claudum ac impotentem ad Venerem reddi.* Item profitentur, *nullum ferè morbum posse nominari, quem non tollere valeant aut Arietis sigillo aut Tauri aut Geminorum aut aliûs reliquorum δωδεκατημορίων.* Verum quid sigilla? Quid imagines? Artificialia sunt effecta, nullam per se sive commodandi sive nocendi vim habentia. Agendi vires, ubi nullæ sunt, fingere, mentis est dementis. Utitur Diabolus arte sua, qua ligat, in quos Dei permissu potestatem accipit: liberat verò rursus, quando aut Deus eum increpat; aut animas eorum lucrari hoc modo se posse conjectar. Exempla vid. *ap. Peucer. p. 169. de divinat. Wier. l. 2. c. 45. 48.* Constat ex his, quàm firmo nitantur

tur talo 3, 4, 5, & 6, *Paracelsi magiæ species*, quas sub initium *præced. Posit.* adduximus. Juxta hæc igitur examinari poterunt.

VII. Per Naturam fieri non potest, ut se quis reddat inconspicuum, aut corpus suum à globulorum ictibus ac ferri immune.

Exercent hoc maleficium jam benè multi, ad id aut *verbis* aut *herbis* utentes, sub specie illa, quasi Natura ipsis velificetur. Sed contrarium ex sequentibus patescet dianœis. Nullum corpus naturale coloratum per medium rectè dispositum astantibus rectè sese habentibus invisibile est. Atqui hominis corpus est tale. Ergo. Major patet. Quia visus proprium objectum est color. Hujus, si medium sit legitimum, & organon rectè dispositum, species visibilis necessariò recipitur ab astante. Porrò: Quicquid est proprium corporis humani, illud ab eo, nisi supernaturaliter, separari potest: Atqui mollities est proprium corporis humani. Ergo. Major constat: Quia propria à subjectis suis, nisi divina virtute, quæ sola supra naturam operari potis est, separari nequeunt. Minorem nemo negabit. Adde, quòd anima humana ejusmodi durum hospitium respuat. (1) ratione operationum. Durum enim si esset corpus, membris ejus movendis minimè sufficeret, ùt experientia testis est. Quibus enim tempore hyberno obriguêre manus, ex animi sententia eas movendi non statim datur potestas. Tum (2) ratione substantiæ suæ. Sic enim juxta scripturam in *sanguine* est, *spirituum* scilicet *vitalium & animalium* respectu. Manebit igitur verissimum, quod *Excell. Dn. Præses instit. pag. 365.* habet: *Diabolus ipse Comœdiæ istius actor est: ictus suscipit, mundumq́ credulum ad se allicit, ut corpora cum animabus in præsentissimam trahat perniciem.*

VIII. Sagas per dissititissima loca posse convenire ad comitia nocturna concedimus: at illas in feles aut lupos converti: vel animas ipsarum extra corpus abripi, eoque perferri à Diabolo, negamus.

Con-

Constans fama est circa *Walpurgi* diem, alijsve statis temporibus, striges ad certa loca proficisci, ut in *Meliboci* aut aliorum celsissima montium juga ad commessationes tripudiaque celebranda. Nec desunt rationes, quibus id adducamur credere. (1) Magi sagæque illud creberrimè sunt confessi. (2) Et posse & velle ipsis non denegandum est. Possunt Satanæ auxilio per aërem volitare ac longissima locorum intervalla peniciter emetiri, aut, scopis, aut furcis aut equis aut porcis aut hircis insidentes. Delectantur etiam illi homines talibus consortijs ac ineptijs: quoniam depravata ipsis mens est, nil nisi abominandam ejusmodi jucunditatem quærens. Quamvis igitur decipiantur non rarò lamiæ, dum falsas illarum Phantasiæ dæmon offert species, ut semper rem ita se revera habere existiment: cum tamen contrarium sæpius testetur experientia: tamen aliquando realem esse exportationem non inviti concedimus. De illo major difficultas esse videtur, an homines in bruta converti aut animæ eorum post inita cum diabolo pacta ab illo extra corpus abripi & ad conventicula dicta transferri possint. Prius multis fit verisimile. Videantur, quæ de mira ista hominum metamorphosi & in Livonia frequenti λυκανθρωπίᾳ scripsit *Peucerus de divin.* p. 170. seq. Sed nos assentiri his nō possumus. (1) Quia nō forma humana sola nec duæ essentialiter distinctæ formæ corpus istud assumtū informare poterunt. Nō illa: quia si anima humana revera adesset, humanas sanè ederet operationes. *Idem* enim *manens idem, semper aptum natum est facere idem.* Sed hoc ibi non fit. Ergo. Neque hæ: alias (1) Lupus iste aut felis simul rationalis & irrationalis esset, quod contradictionem implicat. (2) Quia anima humana à corpore semel soluta non nisi divina virtute rursus cum eo conjungi potest. (3) Quia transformatio isthæc æquè est infinitæ virtutis, ac creatio. Non igitur, quod solius Dei audit opus, Diabolo tribuendum est. Nec obstat, quòd magi lamiæque vulnerentur interdum, cum feles aut lupi sibi videntur. Diabolus enim homicida est, qui corpora illorum sauciat, ut in errore miseros detineat. Quod si ita est ut nulli dubitamus, nulla etiam erit *Paracelsi* secunda de transmutatione Magiæ spec. quam supra adduximus. Restat posterius,

 an animæ

an animæ extra corpus finitâ virtute abripi & cum eo reuniri queant. Quod iterum negandum. Quæcunque enim actio solius Dei propria est, eam creatura nulla præstare potest. Atqui animarum à corpore separatio cumque illo reunitio est talis. E. Adde, quòd animæ sagarum extra corpora sua positæ, nullas possint edere organicas actiones: non coquere carnes, non canere, non saltare, quod se facere sibi imaginantur. *Videatur Clariss. Præs. Instit. pag. 367. & seq.* Nobis ad finem properandum erit.

IX. Magas ex columnarum aut parietum foraminibus, juncis, bipennibus, clavis &c. lac emulgere præstigiæ sunt.

In sinu gaudent ac sibi valde gratulantur miserrimæ striges, ubi sese emancipârunt Diabolo, per varias sibi artes qvasvis comparare divitias esse integrum. Inter illas numerant & lactis ex spinetis, parietum foraminibus, baculis aliisque siccissimis rebus productionem. Sed falluntur nostrâ sententiâ admodum, Diabolus enim lac istud, aut alijs hominibus, aut ipsis etiam vaccis jam antè subductum, occultè & guttatim ijs adfundit, quando deliramenta ejusmodi adhibent. Quemadmodum enim pernicissimum istum sæpe spiritum modò poma, modò pyra, modò uvas modò fraga, modò cerasa hyberno tempore ex distantissimis locis, *queîs tum maturior æstas*, attulisse compertum est: ita & hîc eum agere censendum. Plura hac de re *Jodocus Hocker* habet *libro germ.* quem inscripsit der Teuffel selbst. Illum vide.

X. Lamiarum per aquam frigidam probatio ad illicitam spectat Magiam.

Fit hæc in nonnullis Germaniæ locis ita: Dextra manus sinistro alligatur pedi & sinistra dextro, sicque homo asseri impositus aquæ committitur. Si supernatat, agitur reus, sin minus innocens pronunciatur. Quòd autem ille Magos Magasque probandi modus sit illegitimus, facile possumus dare probatum. (1) Quia omni caret naturali fundamento. Non enim ejusmodi

hominum

hominum corpora aliorum corporibus leviora sunt; sed per se æquè, ac ea, petunt profundum. Nam proprietas corporis humani gravitas est, formam terræ, quæ in hoc mixto deprehenditur, sequens. Propria autem à suis subjectis, non nisi supernaturaliter, separantur.

(2) Fallit. Sæpe enim factum est, ut innocentissimæ etiam mulieres aquis hoc modo injectæ, supernatavetint. Cur Diabolus, qui indesinenter omnium nostrûm meditatur perniciem, quando pijs nonnunquam fœminis maculam hanc per lamias inussit, ut etiam creditæ sint sagæ, & dignæ flamma judicatæ, supposuisse sese ijs in aquam immissis, atque sic submersionem avertisse putandus est. Spiritus enim ille mendax & homicida audit ab initio *Joh. 8*. Ac proinde nullius rei plus satagit, quâm ut fallacibus suis præstigijs vitæ ac saluti hominum insidias struat.

(3) Non minùs, quâm cùm stolidæ satis mulierculæ aquæ pelvi infusæ nummulos ad explorandum, quis se amet, criticis imponunt diebus aut alijs ceremonijs utuntur, hæc probatio superstitione caret. Quod animadvertens *Imper. Lotharius*, sustulisse eam legitur in *Jure Longeb. lib. 2. tit. 54.* Atque ob id etiam hodie à præstantissimis aliquot Jureconsultis improbatur. Defendere hunc morem conatus fuit *Scribon. in Phiosiolog.* sua; sed in conatu defecit. Ratiunculas ejus præcoces perquàm & deliras vide ap. *Excell. Dn. D. Jacob. Mart. Prom. ac Prac. meum ætatem venerandum Cent. 5. disp. 8.* Quîcum alij *Theologi, J. C. Medici, Philosophi* à nostris partibus stantes conferri poterunt. Nos hîc subsistimus: & Sacrosanctæ Trinitati, quæ sola Diaboli insidias nos fugere doceat! & in æternæ veritatis viam ducat! gratias pro concessa gratia agimus sempiternas.

[†]



Præstantissimo atq; Literatissimo

DN. RESPONDENTI,

Amico dilecto & honorando.

UT gemmas antris condit natura profundis,
Et pretiosa imò servat onusta sinu:
Abdita sic Physices ingens concludit abyssus.
Felix, qui gazas eruere inde potest.
Hasce MAGIA sagax monstrat, sacrata recludit.
Hanc prensa sobriè. Sat pretiosa leges.

Gratul.
Johannes Scharfius Theol. Doctor
P.P. nec non p. t. Colleg. Phil.
Decanus.



QUæ, SOLTERE, tui vis siet ingenI,
Et novit *Witteberga*, & scit *Julia*,
Ambæ splendidiores Academiæ :
Disquisitio quod porrò perelegans
Monstrat, quà tibi, quæ vera *Magia* sit,
Enodâsse placet, Cultor amabilis
Musarum, Tibi quæ præmia conferent,
Promptæ promeritis tollere honoribus

Cun-

Cunctos, qui cupiunt per sapientiam
Conari, ut feriant sidera vertice.

Ita meritò gratulatur Eximio & eruditè docto Dn. Respondenti, Fautori honorando

M. Johann Andreas Quendstedt/
Quedl. Collegij Philos. Adjunct.



Eximio

Dn. HENRICO Soltern/
SS. Theol. Cult. Strenuo, Philos. Cand. digniss.
de Magià disputaturo, Amico pl. dilecto
S.P.D.

Pars animæ SOLTERE meæ, pars pulcra Lycéi,
Dulcisq; Patriæ TUÆ Spes maxima,
Naturæ varios monstras mirosq; recessus,
quid nostra doni Leucoris TIBI dabit?
Hem dabit Illa suam multa cum laude Corollam,
non ut Magus, *sed ut* Magister *audias.*

Infucati amoris debitæq; gratul. test. e. adpos.

M. Joh. Ern. Gerhardus Jenensis.

FINIS.